



**Historia De Vita, Moribus, Rebus Gestis, Studiis Ac  
Denique morte Praedicatorum Lutheranorum, Doct.  
Martini Lutheri, Philippi Melancthonis, Matthiae Flacii  
Illyrici, Georgii Maioris, et Andreae ...**

Complectens ortum, progressum [et] incrementa, tum arcana plurima  
hactenus non prodita, omnium penè huius temporis haeresum

... Vita ... Philippi Melancthonis. Matthiae Flacii Illyrici. Georgii Maioris, Et  
Andreae Osiandri

**Ulenberg, Kaspar**

**Coloniae Agrippinae, 1622**

II. Fuga Osiandri in Boruſiam ob repudiatum Interim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65643)

ANNO

1537.

Eius aucto-  
ritate fero-  
ciam cohi-  
bet Osiander.

esse voluit. Iam & Osiander Lutherum vicissim non nihil verebatur, quem non ignorabat impetuoso esse ingenio, atque acerbius eos insectari, quos odio sibi prosequendos delegerat. Itaque licet opinionem suam de essentiali Dei iustitia teneret mordicus; tamen auctoritate Lutheri ceu freno quodam coercitus fuit, ne scriptis in lucem editis nouam controuersiam suscitaret. At cum Lutherum à medio sublatum intelligeret, ceu vinculo solutus dixisse fertur, mortuo Leone, vulpes & lepores (Melachthonē, & cæteros Ecclesie Lutheranae proceres) se non magno negotio subacturum.

II.

Bellum Ger-  
manicum.

Ann. 1548.

Osiander  
respicit In-  
terim.In Borussia  
fugit.Theologia  
docet.Errores  
suos liberè  
in vulgus  
spargit.

Secutum est deinde bellum germanicum, cuius terror concionatores non nihil cohibuit, ut quæ inter ipsos erant domesticæ concertationes aliquandiu conquiescerent. Postea cum Cæsar librum ederet ann. 1548. in Comitibus Augustanis approbatum, quem Interim id temporis appellabant, Osiander inter eos fuit, qui Cæsaream hanc Ordinationem respuebant. Itaque Norinberga discedere coactus periculi vitandi causâ in Borussia profugit ad ducem Albertum, cui an. 1522. Lutheranismi virus, ut supra diximus, inhalarat. Ab hoc Principe per quam humaniter & benignè fuit exceptus: Et principio quidem Regiomonte, ubi non ita pridem, anno scilicet 1544. Vniuersitatem erexerat Albertus, Osiander primariam Theologiae professionem consecutus est: Deinde pastor quoque constitutus ciuitatis veteris. Tum verò opiniones

suas

suas de imagine Dei, de incarnatione filij, de iustificatione, alijsq; de rebus, quas suprà recensuimus, in concionibus ad populum, tum in prælectionibus academicis, liberius in apertum proferre cœpit.

Erat id temporis inter consiliarios Ducis Borussiae Fridericus Staphylus, vir doctus, & antiquitatis ecclesiasticæ peritissim⁹; qui sententiã rogatus à Principe de dogmatibus Osianensis, respōdit, ea Manetis & Nestorij veterū heretiarcharū erroribus finitima videri. Quod cū Oslander intelligeret, vehementer excāduit; vtq; hereseos obiectæ probrum dilueret, facultatē hac de re colloquendi cum Staphylo corā Principe sibi fieri postulauit.

Ventū est ad Colloquiū, præsentē Principe, disceptatū familiariter de iustificatione: de quo dogmate protestatus est Oslander, eādem se prorsus cum D. Paulo, cumq; Luthe-ro sententiam profiteri: Quod cum negaret Staphylus, series disceptationis in eo velut cardine vertebatur, vt quæ vera esset & genuina D. Pauli, quæ Lutheri sentētia, alter alteri demōstraret. Hic multum sudauit Oslander, vt cōmento suo laruā indueret verbi diuini, seq; nihil ab Apostolo diuersum sentire, nihil à Lutheri mēte alienū, Principi persuaderet. Staphylus autē, vt audaciã hominis in asserēdo cōprimeret, colloquiū quoddam protulit breuiter descriptū, q̄ inter Lutherū & Melanchthonē ann. 1536. de Iustificatione priuatim habitū assererat: Quod cū legeret

ANNO  
1548.

III.

*Staph. in resp. ad Mel. Staphyli de hæresi Osianensis iudiciū.*

*Colloquiū Staphyli cum Osandro.*

*In ep. Mel. ad Camer. Oslander ad D. Pauli & Luth. doctrinam prouocat.*

*Conuincitur mēdacijs.*

*Scriptum Luth. de iustificatione.*